

QK. 275. ORATIO PARENTALIS ¹⁴

DE VITA, STUDIO
DIIS AC BEATIS-
SIMO OBITU



Reverendi, Clarissimi & Excellentissimi Viri,

Dn. ABRAHAMI SVARINI, SS. THEOLOGIAE DOCTO-

ris, Ecclesiae ALTENBURGENSIS Pastoris & totius Illustri Ducatus Superattendentis Generalis, nec non Consistorij ibidem Assessoris dignissimi:

Demortui die 11. M. Novemb. Anno 1615. ibidemq; in templo coenobiali die 15. Nov. ejusdem Anni sepulti.

Jussu Superiorum.

Conscripta & 29. Januarij Anno 1616. habita Altenburgi

M. JOSEPHO CLAUDERO, Poetae
Caesar. & Scholae ibidem Rectore.

D. ABRAHAM



SVARINUS.

X 2125499

LIPSIÆ, Excudebat NICOLAUS BALL.

ANNO:

VIRI IVSTI reCORDatIo seMplterna,

18



ORATIO PARENTALIS
DE VITA
D. ABRAHAMIS VA-
RINI, THEOLOGI LAUDA-
TISSIMI HÆREDIBUS,

Filiis

SAMUELI,
ANSHELMO,
ABRAHAMO
SVARINIS:

Fratribus germanis:

Pietatis & bonarum Artium
studiofissimis.



Genero

*Viro Reverendo & Prestan-
tissimo,*

Dn. M. THOMÆ

WEINRICHIO, SS.

Theologiæ Licentiando, &

Ecclesiæ Lipsiensis ad D. Ni-

col. Symmystæ fidelissimo.

Fautori & Amicis meis multum colendis

Orationem hanc Parentalem Domini Parentis

ac Soceri piè defuncti,

in

Συμβολικῆς Symbolum ac Memorix
monumentum

offert

M. JOSEPHUS CLAUDERUS,



DU Cente & aDIVVante Deo.

Sicuti vestrum, Reverendi, Clarissimi, Consultissimi, Prudentissimi, Humanissimi, Doctissimiq; Viri, Fautores, Inspectores, Collega & Amici singulari observantia & studio atatem prosequendi: Tuq; literata Juventutis corona floridissima: Si cui, inquam, vestrum mirum fortasse, novum ac insolens videatur, quod ipse in conventu hoc splendidissimo cathedram hancce perorandi gratia conscenderim, ille sciat ac persuaderi sibi patiat, me non proprio aut temerario ausu, nedum ullam sive arrogantiam, a qua sum alienissimus: sive Ingenij ostentatione, quod ipse sentio mihi esse perexiguum: nullam audaciam, quam mihi natura denegat: nullam etiam petulantiam, a qua me atas jam adulta liberat, id fecisse; sed autoritate ac voluntate eorum, qui mihi imperant, & quibus mihi nefas non obedire, aut contumaciter reluctari.

Dicendum autem mihi nunc est de Vita, studiis & obitu Doctoris ABRAHAMI SVARINI, Theologi eximij, Pastoris ac Superattendentis nostri, dum inter vivos moraretur, longè carissimij, Viri de Ecclesia CHRISTI & nobis omnibus præclarissimè meriti: quem æternus ac immortalis DEUS paucis abhinc septimanis, ipso nimirum die Martini, subitaneam fortiq; nervorum resolutione (quam Apoplexiam nominare consueverunt Medici) ex vitæ hujus miserime ac ærumnose ergastulo ad beatissimam cælestis Patriæ societatem morte placidissimam evocavit. Consuetudo hæc, qua in funeribus summorum atq; optimorum Virorum querela lugubres & Orationes funebres in defunctorum laudes habeantur, non solum in sese est laudatissima, verum etiam longè antiquissima. Vetustissimum enim in mundo librum SACRÆ BIBLÆ si consulamus, invenerimus Patriarcham Jacobum in AEGYPTO mortuum septuaginta diebus defletum: & Moysen summum Populi Israelitici Ducem, extinctum

stinctum in Campestribus Moab, totis triginta diebus amarissimo luctu fuisse deploratum. Si insuper antiquissima Romanorum monumenta evolvamur, deprehenderimus, inde ab Urbe quasi conditâ morem hunc inter Romanos viguisse, & ad Græcos postea aliosq; populos pervenisse. Mirum igitur non est, eundem in hodiernum usq; diem perdurare. Quod ergo nunc facio, antiquissimo & laudatissimo Majorum more facio. Nec ignoro interim, quàm huic oneri ferendo humeri mei parùm sufficiant, quamq; doctiores & eloquentiores plures alij, quiq; Doctorem SVARINUM propiùs cognorunt, huic muneri longè magis apti & accommodi esse possint. Sane dum altius mecum perpendo & expendo, quot, qualibus & quantis animi dotibus piè defunctus Dominus Doctor ac Superintendens noster fuerit exornatus, de hisce cum Salustio satius esse ducerem, omninò nihil, quàm parum dicere.

Verum enimverò cum ipsissima Pietas & Christiana charitas requirant, Viros magnos & excellentes non tantum vivos colere & amare: sed mortuos quoq; debito luctu & laudum præconiis afficere & exornare: Ego sanè unus ex minimis hanc in me dicendi provinciam lubens suscipere volui, non quod mea Oratio, quam sentio nimis aridam & jejunam esse, tanti Viri laudes & præconia adæquare possit: sed ut partim meum, ergà piè defunctum Patronum, Promotorem & Compatrem longè desideratissimum, studium testarer: partim illis, quorum jussu ac mandato hasce dicendi partes in me suscepi, debitam tum obedientiam, tum observantiam declararem: partim deniq; Urbis nostræ statum justo doloris affectu deplorarem. Eum namq; intuens non possum non recordari verborum, quibus ipse JEHOVA apud Prophetam minatur, se, priusquam graves ruinae ingruant, è medio populi Ariolos & PROPHETAS sublaturum, quo malo & Ecclesiis & Rebus publicis nullum potest esse noventius. Quemadmodum enim navis certo ac fideli destituta gubernatore facilimè subvertitur: ita nec Ecclesia diu salva, nec Respub. diu firma esse potest, si gubernatorum Doctorumq; idoneorum orbe-

tur

tur presidio. Merito igitur deploremus hanc jacturam, deploremus, inquam, hunc nostrum Doctorem, qui fuit ornamentum civitatis nostrae, venerandi ministerij corona caputq̄, morte tam subita, tamq̄ insperata & improvisa ereptum esse & quidem ea etate nobis ereptum esse, quae ad res recte & cum judicio peragendas maxime erat idonea: illo animo, quo de omnibus, cum primis vero de CHRISTI Ecclesia & salute hujus nostrae Scholae mereri volebat optime: illo ingenio, quo quidvis prestare debebat, prestare etiam poterat: illo tempore, quo ejus singularis industria atq̄ dexteritas in rebus Ecclesiasticis ad Consistorium nostrum, Tutorio nomine Electorale, pertinentibus, summe desideratur, Illud, Auditores, illud, inquam, deploremus. O ergo acerbum & luctuosum diem! o funestum casum! o vanas hominum spes! o ludibria infelicissima miserrimaq̄ vitae, quae cum in manibus habere arbitramur, cum iisdem frui nos posse diutissime speramus, derepente avolant, & in medio quasi felicitatis cursu nos deserunt! adeo ut cum Polycarpo, sanctissimo DEI Martyre, pia mens haud immerito exclamare & ingemiscere cogatur: Ah DOMINE, In quae nos reservasti tempora! tempora nimirum, quibus omnia

In pejus ruere, & retrò sublapsa referri conspiciuntur.

πλείη μὲν γὰρ γαῖα κακῶν, πλείη δὲ θάλασσα.

Omnia sunt maris & terræ loca plena malorum.

Verum, cum luctui nimium indulgere Christiana vetet pietas, in Dei, qui vitae ac Mortis nostrae potestatem habet, voluntate acquiescamus, quam nemo plene comprehendit, nemo justè reprehendit, animosq̄ à luctu ad considerationem plurimarum & pulcherrimarum virtutum, quae in hoc pie defuncto & sanctissimo DEI Organo per totum vitae suae transactae curriculum eluxerunt, convertamus, easq̄ sanctè & religiosè imitando quisq̄ pro modo & vocatione nostrâ exprimere studeamus. De his autem dum verba facere instituo, non est, quod Orationem Verborum sesquipedalium ampullis inflatam aut

pompâ Oratoriâ indutam exspectetis: sed faciam, quod & quantum
potero; idq; stylo magis ad simplicitatem, quam Oratoriam in dicen-
do venustatem & elegantiam accommodato: præsertim, cum ipsi E-
loquentiæ Magistri ab hoc lugubris Orationis genere Artis observati-
onem abesse oportere statuunt: Hac spe quoq; fretus, in luctu non con-
siderari verborum profectum, sed lugentis affectum.

A vobis autem, Auditores omnium ordinum ac dignitatum,
honoratissimi, eâ, quâ par est, animi observantiâ reverenter &
officiosè contendo, ut mihi de hac materia peroranti ad exiguum
temporis spatium aures benevolas & attentas præbeatis. Dabo ego ope-
ram, ut vestrâ benevolâ audiendi patientiâ me non abusum fuisse
sentiatis.



Nmore & consuetudine apud Oratores
positum esse constat, cum Personæ alicujus laudes
decantandas suscipiunt, modo certâ virtutum ge-
nera explicare & illustrare: modo familiam ortumq;
describere, & hinc de totius vitæ curriculo & ho-
nestis actionibus continuam narrationem contexe-
re. Horum ductum in proposito hoc Argumento satis prægnanti &
copioso eatenus in præsentia sequi conabor, ut summam duntaxat re-
rum illarum, quæ tum de virtutibus, tum de Patriâ, parentibus,
primo studiorum tyrocinio & vitæ cursu reliquo piè defuncti Dn. Do-
ctoris ac Superintendentis nostri (sed heu nostri!) in medium affer-
ri possent, summa tantum persequendo rerum fastigia, justâ, quan-
tum fieri potest, brevitate recenseam: præsertim cum de tali viro ver-
ba mihi facienda sint, cujus non solum doctrina admirabilis,
virtus laudabilis, atque industria in rebus gerendis singularis ob
oculos nobis omnibus, etiamnum post mortem ita obversa-
tur, ut supervacaneum alicui videri possit, de singulis partibus
curriculi vitæ laudatissimi, virtutumq; excellentium ornamentis
omni.

omnibus (quæ obscura minimè sunt) verba prolixè ex hoc loco velle
facere.

Ut igitur à principio honestissimo piè denati Dn. Doctoris ac
Superintendentis ducatur Exordium; minimè tacenda sunt ea,
quæ ad ortum familiamq; ipsius spectant: propterea quod Patria &
Generis origo honesta & laudata in earum sit rerum numero, quæ
decus & ornamentum homini excitare & afferre possunt maxi-
mum. Patriam enim Hominis quod attinet, inter omnes manife-
stè constat, quod, benè morata illa si sit, maximum sive nominis si-
ve fame splendorem ac celebritatem perpetuam cuivis comparare
soleat. Quemadmodum enim è soli naturà & cultura arborem ejusq;
fructus estimamus: ita in hominibus Patria quoq; valet plurimum:
nec in minimâ felicitatis parte Patria nobilis & genus præclarum po-
nenda sunt, cum omnis vitæ spes atq; virtutis incrementa ab ipsis in-
cunabulis ducantur, & Patria benè morata ad virtutis culturam
resq; præclare ac laudabiliter gerendas stimulos addere possit non
exiguos.

Laudari sanè legimus à Pericle Athenienses in prælio cæsos,
quod Patriam Athenas nacti fuerant: erat enim Athenarum olim
tanta celebritas, ut totius Græciæ nomen ejus unius urbis laude cla-
resceret, easq; non vidisse opprobrium esset turpissimum. Verum
enim verò et si parentibus natum esse præstantibus, patriamvè habe-
re celebrem, magnum quidem & divinum quiddam sit: est tamen
alienum bonum, cui vir Sapiens, veluti proprio & solido fundamen-
to nunquam insistit, sed

Et genus & proavos, & quæ non fecimus ipsi,
rix ea nostra & rectissimè quidem existimat. Nisi enim is,
qui Patriam agnoscit honestam, honestate quoque vitæ virtu-
tumq; ornamentis antecellat, quid est quod jactare Natale solum,
laudumq; verarum ac solidarum adjumenta expectare inde velit
aut possit? plurimos certè fuisse florentissimis civitatibus oriundos, qui
improbitate vitæ, seditionibus, libidinibus, omniumq; flagitiorum &
scelerum

scelerum genere mirificè Patriam suam debonestârunt, Historiarum monumenta passim attestantur. Hos verò, tantum abest, ut patria splendor atq; magnificentia commendet, ut potius eos tanquam infames admittæ turpitudinis arguat, & Natali hoc solo indignos Stentoreâ quasi voce proclamet.

At verò quàm multi è diverso extiterunt, qui cum ex locis minimè celebribus ortum ducerent: Virtute tamen suâ factisq; præclaris ita emerferunt, ut perpetuam nominis sui memoriam reliquerint posteris, & Patriam aliàs humilem & obscuram perennibus laudum, egregiarum monumentis nobilitârint? De Patriæ igitur celebritate, magnificentiâ, splendore, opibus, munitioibus & propugnaculis, nisi ipsi boni & honesti simus, frustra, imò magno cum dedecore nostro gloriabimur. Quod si autem omninò jaçtanda Patria est, dicamus sanè & gloriemur, qui Christiani sumus, unam nos communem habere Patriam omnium laudatissimam, nimirum ECCLESIAM, qualem habuisse sanctos Martyres Basilus quodam in loco multos eorum simul laudans venustissimè perscripsit. Nulla enim major est gloria, quàm esse συμπολίτην τῶν ἀγίων, id est, civem Ecclesie, quæ est DEI civitas. Hujus Patriæ aliquem civem esse maxima laus est. Hanc enim non ulla mortalitas abolebit: sed immortalis honore subsecutura vite beatitas illustrabit. Ad hanc igitur totis animis nos præparemus, & de hac unicè omnes gloriemur.

Patria verò piè defuncti Dn. Doctoris nostri non est emporium, aliquod celebre, neq; Urbs aliqua; cujus si primordia inquiras, vetustissima; si formam Reipub. scrutaris, magnificè & ad luxum usque constituta: si opes & potentiam, ditissima & potentissima: sed SCENDICIUM, oppidulum in Episcopatu Martispurgensi minimè ignobile, loco perquam amæno, sylvis & pratis, aëre puro & salubri (qualia loca plerumq; bona ingenia ferre solent) situm ad Elystrum fluvium supra Adorffum in Sudetis è Nariscorum montibus manantem. De quo quidem loco hîc etiam nonnulla commemorari possent fusiùs, si & hujus loci esset, nec justo longiùs excresceret

Oratio.

Oratio. Natus est autem pie defunctus Dn. Superintendens noster
hoc quidem in loco, anno ab Incarnatione Salvatoris nostri supra ses-
quimillesimum sexagesimo tertio, Mense Novembri, die decimo quin-
to (quem sibi etiam eximium ac solennem habere quot annis consue-
vit) stirpe Sacerdotali, parentibus honestissimis: Patre quidem JO-
HANNESVARINO, Nebrano, Pastore & Seniore ibidem, Re-
ligionis & Pietatis cultore ac defensore acerrimo, qui totos triginta
tres annos, & quod excurrit, Ecclesiae loci illius caelestem
& salvificam doctrinam fide, constantia & exemplo admodum
laudabili orthodoxe docendo, praesuit ac profuit. Matre vero
MARTHA, MELCHIORIS CRUSII, quondam civis in
hoc nostro Altenburgo inter optimos optimi relictam filiam: Matro-
nam piam simplicitate & simplici pietate spectatissimam, laboribus dome-
sticis adsuetissimam, singularique & in maritum & liberos seque-
nter maxime praedita. Patrem vero pie defuncti Superintendentis nostri fuisse
virum pium & candidum, norunt adhuc multi, qui ipsum viva voce
docentem jam olim audierunt, & propter insignia docendi dona su-
spexerunt & coluerunt plurimum. Hinc etiam factum, quod cum
multis praecipuis & magnis viris tum Lipsiae tum alibi degentibus,
cum primis vero cum Dominis Proceribus Praesulatus Martisburgensis
illi, quem nominavimus, D. Svarini Parenti singularis quaedam fa-
miliaritas intercessit. Gubernabant tum temporis Praesulatum istum
Viri summi & excellentissimi: Cancellarii officio fungebatur Gabriel
Schutzius, homo omnium liberalium Artium Studiis mirifice ex politus;
Imprimis vero incredibili dicendi artificio (ad quod sane non factus,
sed natus omnino videbatur) inter alios excellebat. Erat D. Adamus
Rotherus, Superintendens, felicissimus habendis Concionibus Arti-
fex: erant & alij praclarissimi Viri, Theologi & Politici, qui omnes
ac singuli arctissimam & plane Pyladeam necessitudinis conjunctio-
nem cum Patre Domini nostri Superintendentis tuebantur.

Hi igitur pie honestissimique Parentes, postquam ex largam DEI be-
nedictione hunc filium ex quatuor natis secundum sibi datum agno-

B

scerent

1563

scerent, ipsum non modò infantem ipso Nativitatis suæ die CHRISTO
per Baptismum offerri curârunt, ut in album viventium inscriptus
ex filio iræ, filius DEI ac heres æternæ salutis redderetur: sed & postea
præcepti Paulini haud immemores, hunc filium suum, quem Ingenio &
præclarâ indole dotatum videbant, & in quo à teneris jam unguiculis
virtutes ad frugem eruditam maximè necessarias certare animad-
vertebant, ἐν τῇ παιδείᾳ ἢ ὑπερβολῇ τῆς κωρείας diligentissimè educârunt,
optimoq; exemplo ad honestissimam vitæ sanctè pieq; degenda ratio-
nem, ad victum cultumq; corporis sobrium, nec non ad morum gra-
vitatem cum humanitate temperatam instigârunt: cujus etiam pri-
mæ educationis vestigia deinceps per totum vitæ curriculum splendi-
dissimè in eo eluxerunt. Quemadmodum enim velocius atq; citius
nos vitiorum Exempla domestica corrumpunt: ita juxta Democri-
ti sententiam, τῆς πατρὸς, ἢ τῆς μητρὸς σωφροσύνη μέγιστον τοῖς τέκνοις
ὠφέλημα; hoc est, utriusq; parentis virtus optimum liberis est
præceptum. Neq; horum ille piis monitis immorigerum unquam se
præbuit: sed iisdem in omnibus modestè obtemperavit. Idcirco cum In-
genij bonitatem & eminentiam in filio suo summâ cum letitiâ per-
sentiscerent, eundem nullâ interjectâ morâ (postquam sextum jam
ætatis annum, cumq; hoc infantie limina esset egressus) publicis in
Scholâ Patria Præceptoribus erudiendum tradiderunt. Cumq; ultra
sexennium inibi tenera ipsius ætas humanioribus Disciplinis, saluber-
rimisq; præceptis ac institutis imbueretur, ita, ut prima Lingua-
rum & Artium Elementa, Grammatices scilicet, prioribus labris
degustâset, missus est tandem adhuc adolescens cum fratre suo Mar-
tispurgum, quod oppidum est patriæ huic suæ vicinum: ibi ludus li-
terarius de novo exstructus & reformatus præ cæteris in viciniâ flo-
rere incipiebat: ab optimis siquidem diligentissimisq; Præceptori-
bus gubernabatur. Ephorus & Reëtor illius Gymnasij tum tempo-
ris erat M. Erhardus Hertelius, vir, ut in omni doctrinarum ge-
nere: ita in primis in erudiendâ Juventute egregius, & (quod de suo
quondam Præceptore doctissimus Camerarius dicere solitus est.)

Magi-

Magister & Artifex planè singularis, qui vigilantia, labore, assiduitate docendi, industria & fide præcipuâ Scholam illam cum Collegis suis ita rexit, ut jam plurimi ex Discipulis suis Viri summi & excellentissimi facti, partim Ecclesie CHRISTI: partim Academiis & Scholis: partim Aulis summorum & potentissimorum Principum operâ suâ utiliter & fructuosè hætenus inservierint, & adhuc inserviant.

Martisburgum itaq, cum venisset, anno nimirum CHRISTI Salvatoris millesimo quingentesimo septuagesimo sexto, parens ex innato & paterno amore, de optimâ Musarum sede filio sollicitè prospeturus, rectius tutiusvè nullibi ipsum vivere posse arbitratus est, quàm apud eum, à quo quotidie exemplum pietatis, modestiæ, sobrietatis atq, diligentiae capere posset. Sæpius enim aureum illum Menandri Senarium ei inculcavit:

σοφοῖς ὁμιλῶν, καὶ αὐτὸς ἐκλήσῃ σοφός.

Cum sapientibus consuetudinem habens, & ipse evades sapiens.

Accidit autem, nec credo singulari DEI providentiâ, ut eo ipso tempore vacaret locus apud prædictum prædictæ Scholæ Rectorem, Dn. Magistrum Hertelium. Hanc igitur discendi occasionem, de consilio parentis, ambabus, quod dicitur, manibus arripuit, & per integrum quadriennium in ipsius adibus & mensa talem se gessit, ut charus esset omnibus, adversus nemini, omniumq, amorem perfacile in se derivaret, donec absoluto hoc tempore accedente Dn. Rectoris honorificâ commendatione, & patris optimi intercessione Pædagogia potiretur apud Magnificum & Amplissimum Virum, Dn. Gabrielem Schutziū, Cancellarium Dicasterij Martisburgensis dignissimū: quibus duum viris post DEUM pleraq, se omnia debere in studio literario non sine honorificâ illorum mentione sæpè noster ὁ μακαρίτης confirmavit.

Ceterum noctesq, diesque apud animum suum perponderavit, quo sine à parentibus in hanc Literariam Officinam fuerit

mandatus? non sanè ut in ocio & desidiâ etatem sine ullo labore in-
glorius contereret: sed ut quotidie plura addiscens melior ac doctior
evaderet, rectè cum Ulysse putans:

Αἰχρὸν τοὶ δὴρὸν τὸ μένειν, κενεὸν τὸ νέεσθαι.

Turpe fuit mansisse diu, vacuumq; redire.

Imò turpissimum sibi fore duxit, si non in hoc unice incumberet, ut
condiscipulos suos vel superaret, vel discendo equaret, vel ad mini-
mum saltem inter eos non postremus haberetur. Unde etiam factum,
ut paucorum annorum intervallo utrâq; literaturâ, & Latinâ &
Gracâ plurimum proficeret, Artiumq;, quas dicendi vocant, cogni-
tionem haud mediocrem arriperet, inq; predicto Gymnasio tertium
in ordine locum jure obtineret. Et quia, teste Evagrio, Φυτὸν μὲν τὰ
Φεεγυμνασίου συνεχῶς καὶ πρὸν ἔργον; non fecit, quod vulgus Scholasti-
corum factitare consuevit, qui singulis fermè menses (mensibus pe-
nè dicerem) novos ludos novosq; Praeceptores queritant, & hinc in-
de erronum more discursitantes precipuam vitæ partem, auream ni-
mirum Juventutem turpissimo otio & luxu inutiliter transigunt:
Adolescens sagacissimus ipse intelligebat, se longè majori cum fru-
ctu studiorumq; accessione posse in scholâ isthac triviali commorari,
quàm sumtum jacturâ in Academijs delitescere, ulterius ibi perman-
sit; praesertim, cum videret omnia sibi ex animi decreto succede-
re: nihil quicquam moratus eos, qui ubi vix umbellam alicujus eru-
ditionis adepti sunt, in Academijs, veluti avicula nondum plumis
rectè & perfectè induta, a volant, ibiq;, nescio qua persuasione ducti,
si nihil agunt aliud, sumtus duntaxat abliguriunt, & etatis florem
turpissimè deperdunt. Quod δόξοσφίας vitium familiare admodum,
nonnullis hodiè esse solet Adolescentibus, qui, dum Scholas justo citi-
us deserunt, monitores & praecceptores spernunt, ἢ ἰσοκρυβεῖται ἐγκο-
πὴ τῆς ἀρετῆς; facitq; inanis illa arrogantia, ut ad plenam Sapien-
tiæ & Eruditionis laudem minimè perveniant; quia, juxta Sene-
cam, se jam eò pervenisse existimant. Sed redeo ad S V A R I-
NUM nostrum.

Post-

Sylla libe
Rationum
Casus de
Chemih
libe hic
auton plura
rescript.

Postquam Martisburgi totum quinquennium exegisset, jamque initia precipuarum doctrinarum probe percepisset, eorum quoque fundamentorum (ut modo dictum) quibus in Academijs plura tutissime possunt superstrui, sufficientem scientiam possedisset, ex angustijs Scholæ carceribus in ampliorem Lipsiensis Academiæ campum, non proprio ac temerario ausu: sed de Consilio parentum ac Præceptorum profugit, ut videlicet studiorum suorum cursum, quem ducente & favente DEO feliciter cœperat, doctissimorum ac præstantissimorum virorum operâ pro ingenij quoque felicitate absolveret: id quod factum Anno supra sesquimillesimum octuagesimo primo, sexto Calendar. Februarij, exeunte Mercatu hyemali.

Ibidem sanè non desidia: non heluationibus & commensationibus: non virginum amoribus operam dedit: non Sybaritam per plateas, multò minus grassantem aut vociferantem egit noctambulonem, aut alia sive ludicra, sive illicita & liberali Adolescente indigna perpetravit facinora: sed omnibus alijs cogitationibus posthabitis, absque ullâ temporis intercapedine, optimarum Artium studijs atque honestis disciplinis & domi in Musæo, & foris in Auditorio avidissime inhiavit: audita publicè domi repetijt: repetita memoria mandavit: memoria mandata suo loco & tempore ad usum rectissime transtulit. Hinc (quod proclive est aestimare) per paucorum annorum spatium tantum consecutus est, ut non facile cuiquam equalium in ullâ liberalis scientiæ parte cederet.

Primis autem annis totum se dedit amplissimo Philosophiæ studio; quippè cujus tanta est utilitas, tanta necessitas, ut in nullo studiorum genere, quicquam rectè inchoari, multò minus feliciter perfici possit sine Philosophiæ adminiculis.

Quid enim, queso, est omnis eruditio, nisi umbra quedam doctrine, aut veluti ædificium splendidum fragili fundamento superstructum, si Philosophiæ cognitione fuerit destituta? Hæc sanè sola copiam rerum optimarum suppeditat: homines instruit: judicium acuit: eloquentiam auget: motus animorum efferos injecto veluti

frano domat atq; moderatur. Quid etiam usu venire soleat iis, qui
Studia Philosophica in minimis ponunt, & derepentè illotis, quod a-
junt, manibus in superiores Facultates irruunt, plurimi ad res ge-
rendas sive in Scholâ, sive Ecclesiâ postea adhibiti, non sine dolore,
maximoq; & suo & Auditorum damno experiuntur.

Cautior hac in parte fuit noster ὁ μακροχρόνιος, qui omnem operam
& diligentiam in Philosophia penetrabilibus diligentius perscrutandis
collocandam esse, sapientissimè judicavit. Hinc in iisdem quoq; brevi
exacti temporis intervallo tantum profecit, & non modò eodem anno
primum studiorum tyrocinium quasi deponeret, ut Oratione de la-
psu Angelorum, in Collegio majori principum publicè habitâ, osten-
deret, quousq; in Scholâ triviali hoc in dicendi genere esset progressus:
sed etiam cum doctrina & eruditionis testimonia publica, quæ sunt
Βεβαίαι seu gradus ac tituli Honorum Scholasticorum, minimè con-
temnenda esse intelligeret, maturè eam ad rem omnem suam diligen-
tiam convertit, tantumq; assiduâ tum ἀνεργάσει publicâ Professorum,
tum ἀναγνώσει sive diligentia privatâ & domesticâ effecit, ut statim
anno hunc insequente, octuagesimo secundo scilicet, primam in Ar-
tibus lauream sub Decanatu M. Francisci Tidicæi Dantiscani,
Medici jam Turoniensis celeberrimi, Promotore M. Johanne Al-
bino, Poëtices Professore Publico: atq; iterum anno octuagesimo
quarto, ad majora progressus supremum in studio Philosophico Hono-
ris titulum, qui futuris Magistris & Philosophiæ Doctoribus attribui
solet, Decano tum temporis M. Johanne Steinbachio, Jaurano,
singulari cum laude magnâq; cum multorum ἑπισημασίων reportaret
Magister optimarum Artium & Philosophiæ Doctor publicâ
& solenni renunciatione creatus: postquam eruditionem suam specta-
tissimo Dn. Decano, ceterisq; Studiorum censoribus in Examine satis
rigoroso tum privatim tum publicè abundè probâisset, idq; quod Leges
Facultatis Philosophicæ futuris Magistris & Artium Candidatis præ-
scribunt, in publicis doctrina ac Disputationum Exercitiis ex omni
parte præstitisset. Habuit autem competitores in utroq; Gradu viros,

tunc

tum temporis juvenes exercitatissimos & industrios: in Baccalaureatu quidem Jeremiam Nevium Dresdensem, & Ottonem Svalenberg; utrumq; nunc J. U. D. In Magisterio vero Cornelium Beccerum Lipsiensem, SS. Theologiae Doctorem ac Professore publicum in Academia Patria, nec non Ecclesiae ibidem ad D. Nicolai Pastorem postea factum: Virum aeternae memoria dignissimum M. Johannem Scipionem: Georgium Tezium, Professore extraordinarium Hebraeae Linguae, loco Eliae Hutteri: Johannem Hippium, illustris Scholae Portensis quondam Collegam: Fridericum Piscatorem, Ecclesiae Budissinae in superiori Lusatiâ nunc Pastorem & Antistitem: Christophorum Fabrum J. U. D. p. m. Davidem Teubertum, Bornensis Ecclesiae nuper - Pastorem & Superattendentem: Joachimum Tankium, Medicinae Doctorem ac Professore Lipsiensem: Nicolaum Liscam, Dialectices Professore publicum, & pro tempore Philosophicae Facultatis Decanum, & alios, numero sex & viginti, qui mox pleriq; ad summa Honorum fastigia fuerunt eVecti: cum quibus singulis atq; universis, cum primis vero cum D. Cornelio Beccero τὸ πρῶτον ἐν τοῖς ἀγίοις: & ejusdem nunc in officio successore D. Vincentio Schmuccio, Theologo vel ob jucidij excellentiam & rerum Theologicarum experientiam: vel ob singularem Zelum in propagandâ caelesti Doctrinâ diuturniore lucis usurâ dignissimo, Beato SVARINO nostro per omnem vitam haud minor aut levior, atque olim Davidi cum Jonathano intercessit fraternitas & animorum indissolubilis conjunctio. Sed nè extra suos limites mea excurrere videatur Oratio, redeo ad id, à quo paulò sum digressus.

Isthoc Honoris titulo ornatus, jam multò magis sibi, quàm antea in hoc studio omnibusq; humanioribus Disciplinis laborandum censuit; non modò ut sibi metipsi laudem & decus inde pararet: sed ut aliorum quoq; studia hoc in genere adjuvaret ac promoveret. Hinc statim & Lectionũ & Disputationum exercitia instituit privata, eaq; Logica ad Melanchthonianae Dialecticae Praecepta rectius intelligenda.

Porro huc usq; vitae & studiorum curriculum cum deduxisset
Lipsia,

Lipsiæ, & quidem sumtibus paternis, quos nec multos nec magnos habebat (toto enim tempore usus fuit beneficio Mensarum communium, quod tamen & grato animo agnovit, seq̄ pro tam fideli curâ parentibus suis, quod, licet minoribus, proprijs tamen sumtibus ipsum tanto tempore alere voluerint, gratias condignas exsolvere non posse, in præsentia filiorum subinde fassus est) peculiaris quoq̄ instituit peregrinationes, ad quas naturali inclinatione quasi ferebatur. Non autem ullius lascivie aut inanis delectationes ergo tempus in itinere consumere voluit, quod vagari tantum est: sed cum fructu etiam, nimirum ut cum Græcorum omnium sapientissimo Ulysse

Multorum Mores Hominum observaret & Urbes.

Sicut enim Lacedæmonij filios suos quotidianis loris assuefaciebant, ut asperiora quævis patienter ferre discerent: ita SVARINUS noster spontaneâ Fortune & ἄγαν se adornavit, ut ad omnes eventuum jactus Patriæ vel Ecclesiæ causâ paulo post experiundos esset instructior atq̄ paratior. Susceptâ igitur peregrinatione (quam verè gymnasium quoddam Tolerantiae, Mansuetudinis, Circumspectionis, Frugalitatis, Temperantiae plurimarumq̄ virtutum aliarum: sive, ut uno verbo dicam, juvenilis impetus magistram, ac senilis consilij ministram dixeris) Rostochium concessit, pellustratis prius Urbibus illis Imperialibus, Lunæburgo, Hamburgo, Lubecâ, Wismaria & alijs circumjacentibus; familiaritatisq̄ fenestrâ apud non paucos præstantes Viros sibi reseratâ, Virtute & Doctrinâ multiplici instructus, Moribus elegantissimis ornatus, rerumq̄ usu & experientiâ plurimâ admodum pollens ad suos redijt.

Nè autem sine publico Vitæ ac Morum Testimonio ex Academia Lipsiensi discederet, peculiare sub sigillo Academico diploma modestè petijt, & facile impetravit; in quo præter cætera hæc leguntur verba, quæ, uti trito Adagio dicitur, plus mellis, quàm aloës habent:

De Doctrinâ, & Eruditione Dn. M. ABRAHAMI SVARINI facile judicari potest ex consecutis Gradibus, Baccalareatus scilicet & Magisterij: nec dubitandum est, quin
ejusmo-

ejusmodi ille sit, ut emolumento esse possit Ecclesiæ & Christianæ Reipub. Mores verò illius adeò temperatos esse dicimus moderatosq; , ut dulci quadam *συζυγία* Musas eum Gratijs copulâsse videatur. Est enim in DEUM pius: in Præceptoribus gratus: in æquales officiosus: in Oratione comis: in conversatione facilis & humanus: in Disputatione expeditus & minimè pugnax atq; pertinax. Sophisticen odit: Simplicitatem verò amat: quo ipse gratiam & benevolentiam omnium ferè bonorum sibi conciliavit.

Hoc sanè honorifico impetrato sibi Testimonio felicibus auspicijs abiit. Et rectè quidem hac in parte Dn. nostrum Superintendentem fecisse neminem unquam inficias iturum arbitror: nec quenquam fore mihi persuadeo, qui Peregrinationibus operam tantum dandam esse iis existimet, qui ad Reipub. aliquando gubernandæ curam totos se conformant. Etenim cum de rebus Politicis sacra quoq; Literæ doceant, & Doctorem Ecclesiæ nonnunquam de earum dignitate aut usu differere, vitia vè ordinem politicum civilemq; societatem turbantia, pro concione taxare oporteat; certò aliquo rerum usu civiliumq; negotiorum cognitione, quæ sæpè melius ex peregrinationibus, quàm libris comparatur, instructus esse debet: sicut & veteris Testamenti Patriarchas & Prophetas: Novi verò Testamenti Apostolos peregrinationum non planè rudes fuisse est manifestum. Sed pergo pertexere cetera.

Rostochium veniens, & aliquandiu ibi commoratus, alia quoq; loca indivisere voluit. Accidit autem singulari Fato, ut eo ipso tempore ipsum invaderet & atrociter exerceret Febris quartana (quam Furiarum quartam jure appellaveris) de consilio igitur Medici & imprimis D. Chytræi, Academia Rostochiensis pro tempore Rectoris, Theologi & nostro hoc seculo Historici incomparabilis, quem Parentis loco amabat & estimabat unicè, in adibus D. Johannis Sturzij, Nobilis Livoni, Rostochij permansit, ibidemq; vidit lumina illa Theologia, D. Chytræum: D. Simonem Pauli: D. Lucam

C

Bac.

Bacmeisterum: D. Valentinum Schachtium, & hujus generum, D. Davidem Lobechium.

Noluit autem eo tempore in otio delitescere: sed praelegendo privatim Auditoribus suis, quos & nobiles & ignobiles habebat per plurimos, absolvit Ethicam Aristotelis ad Nicomachum. Neque tamen continuè Rostochij permansit, sed ita ferentibus occasionibus, in Regiones interdum exiit vicinas, Pomeraniam, Marchiam, Holfatiam, Westphaliam, &c. Ubi etiam ad diversas promoveri potuisset functiones Scholasticas, nisi DEUS ipsum in patriam redire, quam in pulvere Scholastico tabescere maluisset. Anno igitur millesimo quingentesimo octuagesimo quinto SC E U D I C I U M ad suos reversus, Lipsiam iterum, animo ac spe studia melius rectiusque persequendi, visitavit. Cum vero non haberet, unde se honestè sustentaret, de querendâ certâ aliquâ sede, sive functione fuit sollicitus. Nullâ autem sese offerente, Disputationem Ethicam de tribus virtutibus homiliticis publicè, & quidem singulari cum gratiâ Dominorum Professorum habuit: & simul in numerum Collegarum & Assessorum amplissimæ & honoratissimæ Facultatis Philosophicæ petiit cooptari. Interea autem fatali quadam Providentiâ Stipendium, ad quod singulis annis quinquaginta floreni pertinebant, à Dominis Præsulibus Martisburgensibus, quibus à D. Chytræo de optimâ notâ erat commendatus, impetravit.

Et hæc quidem, Auditores omnium ordinum præstantissimi, de studiorum curriculo piè denati Dn. Doctoris & Superintendentis nostri dixisse sufficiant. Licet enim hæc ita dicta sint, ut plura dicenda restarent: quia tamen præceptis hora isthæc commemorare non sinit; merito hic filo dicendi abrupto ad alteram vitæ partem properans accedo. Quam dum breviter quoque percurro, ut pari me benevolentia audiatis, obnixè rogo.

Placet autem hanc alteram vitæ curriculi partem iis exordiri verbis, quibus regius & egregius Psalmista David mirabilem DEI optimi maximi describit consuetudinem, qua fideles suos hac in vitâ exer-

exercere solet, dum ita ait: Psal. 4, 4. Mirificat DOMINUS sanctos suos. Verè enim mirificè duxit hunc sanctum suum, adeò, ut ipse Dn. Superintendens DEI providentiã nunquàm satis admirari, nunquàm satis suspicere & commendare potuerit per integrum vitæ suæ spatiũ. Nam cum iterum animum ad peregrinandum appulisset, ecce, juxta DEI voluntatem, parens ipsius, Vir, ut supra dictum, omni Honore dignus, & de Christianâ Ecclesiâ præclarè meritus, inter homines morari piè desinit. Cum autem pietatis & virtutis splendor sit mirabilis, facileq; amatores inveniatur, præsertim apud juvenes, quando ita sese gerunt, ut reliqua vitæ, qualis futura esse debeat, facile aestimari possit (ut enim vino vendibili non opus est hederâ suspensâ: ita nonnulli commendationem sui in fronte gerunt, adeò ut eorum industria & Studium ultrò ab Ecclesiis Scholisve expetatur) nostri quoq; SVARINI pietas & eruditio ita tum innotuerant, ut optimos quosq; in sui amorem alliceret; in primis Dominum Præsidentem Dicasterij Martisburgensis, Dn. Cancellarium & Consiliarios reliquos. Unde etiam factum, ut vacante hoc Pastoratu, & re inter eos penès quos jus vocandi esset, probè deliberatâ, SVARINUS noster unanimi omnium consensu Successor Parentis designaretur: postquam prius ipsâ Dominicâ II. post Epiphaniâs, anno millesimo quingentesimo octuagesimo sexto pro concione, uti vocant, dominicâ Martisburgi in Templo Cathedrali publicè esset auditus: qua statim finitâ Vocationem legitimam accepit, qua deinceps Lipsiæ publico Ordinationis ritu solenniter fuit confirmata: postquam octavo die Martij anni ejusdem factâ per Examen usitatũ studiorum exploratione, dignus fuisset judicatus, cui Ecclesiæ Ministerium cum invocatione nominis ac numinis divini, consuetâq; manuum impositione coràm universâ Ecclesiâ conferretur. Cũ autem jam tum ex animo viri juvenis eximia Spiritus S. dona elucerent, quæ assiduo exercitata usu nõ vulgare spondebant Ecclesiæ Doctore, mox omnes boni effusissimè eũ amarunt, imò rationes invenerunt quo pacto ipsi gratia qualibet præstare possent officia. In hunc autem primo suorum munere spartâ recēs adeptâ sic ornavit, ut Ecclesiâ istius loci

electionis & vocationis : Consistorium Electorale Approbationis : Dicasterium verò Martispurgense confirmationis nunquam pœniterit.

Postquam autem in Patriâ hac suâ totos bis septem annos fideliter docendo CHSISTO Domino suo inservivisset, largamq; DEI benedictionem ubiq; percepisset: anno millesimo sexcentesimo designatus fuit SUPERINTENDENS Delicianus. Quanquam verò pro singulari animi sui modestiâ & humilitate in oblatam vocationem consentire haud vellet, quod se tanto oneri ferendo imparerem existimaret, sancte q; confirmaret, malle sed adhuc aliorum inspectioni subesse, quam præesse, nullas etiam inveniret praegnantes mutandi causas: habebat enim Patronos faventes: habebat faventem Ecclesiam, faventes vicinos & cætera omnia: maluit tamen in voluntate DEI & jussu Serenissimi Electoris Saxonie acquiescere, quam contumaciter reluctando eorundem Favorem ac gratiam profunderem. Quod autem plerisq; Theologis usu venire solet, ut, dum, exigente officij sui ratione, vitia hominum perstringunt, multorum odia & simultates in se derivent: idem quoq; nostro Dn. Doctori accidit; propterea, quòd Juris & Jusitiae (ad quam quasi natus videbatur) esset studiosissimus. Anno millesimo sexcentesimo decimo, non tam promovendi, quam animi recreandi causâ fidelissimam illam religiosâ sinceritatis ac sincerâ Religionis Matrem WITTEBERGAM visitavit: cumq; ibidem magnum & cordatum Theologum D. Johannem Försterum, beatissimæ recordationis, Praeceptorem ac Promotorem de me optimè meritum, tum temporis Facultatis Theologicae Decanum, amicum suum veterem ac singularem compellaret; suavit, & tandem persuasit idem ipsi, ut nomen suum unâ cum duobus alijs, qui tum aderant, Theologiae Candidatis apud amplissimum Collegium Theologicum profiteretur, sicq; Honores Magistrij cum Doctoreis permutaret. Quam vocem amici sui sinceri ceu vocem DEI agnoscens (re tamen probè prius deliberatâ) V. Nonas Julij secutus est, neq; illis sese conjungere dubitavit. Ad quam petitionem

nem etiam consentientibus Judicijs & summâ voluntate Facultatis studij Theologici receptus & Honoribus Doctoratûs Theologici (quæ dignitas hodiè ab Apostolicâ proximum locum obtinet) publicè inter multiplicia Bonorum ac Literatorum omnium εὐχάεσσα fuit exornatus. Id quod factum & peractum novimus 8. Id. Novembris. Hanc autem novi sui Honoris accessionem mox è vestigio alius honos comitatus est. Dum enim hunc Gradum ambit, ecce, præter omnem spem & opinionem, vocatio ei defertur ad hanc nostram Urbem, & Επιτομήν Generalem totius Illustrissimi Ducatûs nostri: quam divinam agnoscens, sicuti ex indiciis haud obscuris nôsse poterat, de Consilio Theologorum & Lipsiensium & VVittebergensium, summâ omnium cum gratulatione acceptavit, hujusq; sui officij ipso Festo Natalitiorum CHRISTI felix fecit auspiciam. Cæterum qua fide, quaq; industriâ Ministerium suum, vitam suam, Mortem deniq; suam condecorarit, paucis, quæso, cognoscite. Non autem de iis dicam quantum par esset: sed quantum possum, sperans, si è multis pauca, eiq; maximis minima saltem attigero, officio meo utcunque satisfactum iri.

Libet autem, vestrà fretus benevolentia & auscultandi patientia, Virtutes DOCTORIS nostri ex typo illo omnium Doctorum & fidelium Ecclesie Ministrorum PAULO descriptas enumerare. Is verò duobus in locis Catalogum Virtutum satis longum recenset, quibus instructum esse velit eum, qui Doctoris Ecclesiastici Personam sustineat: Oportet, inquit, 1. Timoth. 3. v. 2. & seqq. ad Tit. 1. v. 7. & seqq. Episcopum inculpatum esse, unius uxoris virum, vigilantem, temperantem, hospitalem, aptum ad docendum, non vinosum, non percussorem, non turpis lucricupidum, sed moderatum, non litigiosum, alienum ab avaritiâ, qui domui suæ benè præsit, qui liberos contineat in subjectione cum omni honestate, non novitium: amplectentem verò eum, qui secundum Doctrinam est, fidelem Sermone, ut potens sit & exhortari in doctrinâ sanâ, & contradicentes convincere.

*Amplissimus, profectò, hic patet Virtutum Episcopaliū cam-
pus: quarum omnia, eaq; splendidissima ornamenta in piè defuncto
D. SVARINO nostro, si cumulativè floruisse dixero, nemo, nisi
malevolus Momi filius, mihi, credo, reclamabit. Sive enim virtutes
Ecclesiasticas; sive Oeconomicas; sive Personales (sic enim Catalo-
gus ille Paulinus distribui potest) in SVARINO nostro attendas,
videbis ad amissim, ipsum ideam fuisse Hominis verè Christiani
& optimi Pastoris non solum in doctrinæ sinceritate; sed & vitæ
puritate.*

*Nam, ut à Virtutibus Ecclesiasticis sumam Exordium,
offert se in earum censu primo loco vitæ puritas & innocentia.
Non autem fuit omnium sanctissimus nec ullà prorsus ullius vitij labe
conspersus: omnes siquidem, omnes, inquam, sine discrimine Pecca-
tores plenà buccinà in scripturis proclamamur: & D. Basilius ait;
Ἀνθρώπων ἔδει ἀναμάετη: sed HOMO fuit, nihilq; proinde hu-
mani à se alienum putavit. Interim, juxta admonitionem Apostoli-
cam, ἀνεπιληπὴ καὶ ἀνεγκλητὴ esse unicè studuit, & à lapsibus
gravioribus, quæ scandalum Auditoribus movere poterant, dies no-
ctesq; maximè sibi cavet; non ignarus illius CHRYSOSTOMI:
Si Sacerdotes in peccatis fuerint, totus populus ad peccan-
dum convertitur. Eum enim, qui regendos alios suscepit,
tantà decet glorià virtutis excellere, ut instar Solis cæteros
velut Stellarum igniculos in suo fulgore obscuret; debet hu-
jusmodi homo vitam habere immaculatam, atq; compositā,
ut omnes in illum & in ejus vitam, velut in exemplar aliquod
excellens, intueantur. Nec immemor fuit illius B. HIERONY-
MI: Domus & conversatio Episcopi magistra est publicæ di-
sciplinæ: quicquid ille fecerit, id sibi omnes faciendum pu-
tant. Nam juxta Poëtam*

Sic agitur censura, & sic Exempla parantur,

Cum Pastor, reliquos quod docet, ipse facit

Item: Regula virtutum pulcerrima, vita docentis

Altera

Altera virtus est Vigilantia. Oportet enim Episcopum quovis Argo oculosiorem & vigilantio rem esse, omnemq; navare operam, nè ipso dormiente inimicus homo in agro Domini spargat Zizania. Quo nomine etiam Ecclesiarum Doctores Speculatores dicuntur. Hinc & noster piè defunctus Doctor in Speculâ Ecclesie constitutus diligenter non tantum circumspexit, nè vinea Domini apud nos consita, ab hostibus veritatis vastaretur: sed & summâ cum vigilantia animiq; alacritate reliquas sui muneris partes obiit: id quod norunt tam summi quam infimi, quibus omnibus absque ullo discrimine noctuq; & interdum adsuit promtissimus.

Porro si aptitudinem ad docendum cum Paulo requiras: fuit & illa in B. SVARINO nostro planè egregia & propemodum admiranda. Invenias enim nostro hoc tempore haud paucos Theologos, doctrinâ etiam præditos non vulgari, qui tamen populum docent infelicissimè. Nostro autem Superattendenti utrumq; liberaliter divina concesserat benignitas. Nam non tantum eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem firmiter amplectebatur, & rectè didicerat: sed eundem etiam tantâ suavitate docebat, tanto verborum ornatu inculcabat, tanto rerum pondere tradebat, tam denique nervosâ dispositione proponebat, ut docti pariter & indocti plurimum inde proficerent.

Neq; illud hoc loco silentio involvendum, quod in piè defuncto D. nostro naturalis quedam fuerit facundia, qua, urgente necessitate & emergente casu ex morbo Collegarum, vel etiam interventu aliarum non minùs gravium occupationum impeditus, etiam ex tempore (uti dici solet) concionari potuit. Quod tamen non eò intellectum esse velim, ac si semper hoc fecisset, minimè gentium. Quoties enim occasio & temporis ratio tulit, conciones suas aut integras diligentissimè conscripsit, licèt in enunciando certis illis verbis nunquam fuerit addictus: aut ad minimum cujusq; propositæ Partis & Loci Communis præcipua argumenta, sententias Scripture & Exem-

& Exempla annotavit: probè sciens, quid de illis sentiendum, qui confisi suæ naturali facundia, ex tempore, quicquid in buccam venit, de suggesto ad populum effutiunt. Quos sanè severissimâ reprehensione castigandos esse, omnes rectè sentientes Theologi arbitrantur: siquidem fieri nullo modo potest, ut ejusmodi Conciones extemperaneæ & è vestigio factæ debito modo sint comparatæ, aut ad edificationem Auditorum ritè accommodatæ, si non accurata prius meditatio præcesserit, quæ ob memoriæ imbecillitatem scriptionis vel maxime indiget.

Ab Ecclesiasticis ad Oeconomicas virtutes si accedamus, certè etiam in his se bonum Episcopum abundè declaravit. Fuit enim uxoris vir sive Maritus. Postquam enim designatus Patriæ Pastor audiret, curis & laboribus publicis atq; privatis ita flagitantibus, de matrimonio quoq; honesto cogitavit. Ac proindè piis ad DEUM peractis precibus, nec non maturè in consilium adhibitis consanguineis ac viris prudentibus; non Juvenis amplius è Scholarum carceribus missus, non functione aliqua honestâ carens; prout hodiè moris esse consuevit, quòd multi, ubi vix pituitam naribus abstergere nòrunt, citius puellarum amores, quam Eruditionis & certarum functionum Honores ambient: sed constitutus in certo officio, eoq; Ecclesiastico, matrimoniali fœdere sibi junxit ac propriam dicitur Viri integerrimi ac prudentissimi Dn. LIBORII FISCHERI, Camerarij & Senatoris quondam Pegaviensis laudatissimi, filiam ANNAM, virginem tum temporis pietate, formâ & moribus elegantissimis præditam: id quod factum esse accepimus anno Christi supra sesquimillesimum octuagesimo sexto, die Novembris decimo quarto. Hæc revera ipsi fuit γυνὴ ἀγαθὴ, qua, ut Hesiodi verbis utar, ἔμπεδον ἀνὴρ δύναιται ληϊζεῖσθαι ἀμεινον: quacum etiam castè & εὐσόγως vixit per integros novem & viginti annos, cohabitans illi cum omni Παιδείᾳ & mansuetudine.

Ad hæc verissimum quoq; esse Davidicum istud Epithalamion expertus fuit: Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus
tuæ:

tuæ: Filij tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ;
 ut videas filios filiorum tuorum. Liberos enim suscepit ex hoc
 unico matrimonio decem; è quibus quatuor fatis concesserunt: Sex
 verò adhuc sunt superstites; tres nimirum Filij, S A M U E L,
 qui Lipsiæ jam Studiis utilem navat operam: A N S H E L M U S,
 Illustris etiamnum Portensis Scholæ alumnus: A B R A H A M U S,
 Scholæ nostræ nuper-Discipulus: jam verò Lipsiæ apud Dn. Affi-
 nem vivens: ac tot itidem Filia: A N N A, M A R T H A & E L I-
 S A B E T H A: quarum natu maxima, A N N A scilicet, trien-
 nium abhinc in matrimonium fuit elocata Viro Reverendo, M.
 T H O M A E V V E I N R I C H I O, SS. Theologiae Licentiando, tum
 temporis Ecclesiæ Meuselovitziensis in hoc nostro Ducatu Pastori:
 jam verò Ecclesiæ Lipsiensis ad D. Nicolai Symmystæ & Collegæ vigi-
 lantissimo: ex quorum Conjugio piè defunctus latissimum A V I no-
 men fuit adeptus, summâq; animi hilaritate neptes vidit duas.
 Quomodo alias Domui suæ præfuerit; quomodo Liberos adeoq; u-
 niversam familiam rexerit, meâ commendatione non indiget, cum
 illud nulli non sit notissimum.

Restat inter Oeconomicas Virtutes Hospitalitas, qua liberales
 vult esse Episcopos erga advenas & peregrinos, ob veræ Religionis
 ingenuam & constantem confessionem in exilia miserrimè pulsos;
 idque adeò, quòd bona Ecclesiastica, de quibus sufficienter largiri
 poterant, tum temporis ad pedes Episcoporum deponerentur: Cum
 è contrario nostro hoc seculo bona ejusmodi, quæ vel ex Legatis,
 vel aliis redditibus Ecclesiasticis colliguntur, à Magistratu asserven-
 tur politico, Unde etiam minùs mirum alicui videri debet, si nostro
 hoc tempore Hospitalitatis virtus apud Ecclesiæ Ministros rarior sit,
 quàm Apostoli Pauli tempore. Quicquid autem illud sit: laus tamen &
 hæc nostro Doctori nunquã defuit. Etenim cum non ignoraret præclara
 Hospitalitatis Exempla passim in Scripturis commendari, ad se quoq;
 eadè pertinere rectissimè judicavit. Proinde exules & alios paupertatis
 onere suppressos Studiosos blandè & amicè excepit, benignè audivit,
 D eosq;

eosq; nunquam vacuos: sed vel efficacissimis consolationibus erectos, vel liberali viatico donatos, vel etiam, si illud peterent, literis commendatitiis ad praefectum Aerarij Ecclesiastici a se dimisit, memor praeccepti Sanctissimi, satius esse dare, quam accipere; haustumq; aque frigidae in nomine Christi porrectum, non irremuneratum iri.

Deniq; ad personales Virtutes, quas Divus Paulus, Gentium Doctor & Apostolus, a fidei Ecclesia Ministro requirit, quod attinet, his quoq; B. Dn. Doctorem nostrum eximie praeditum fuisse, nec vos ignoratis ipsi, nec demonstratu est difficile. Etenim ab avolias crimine ipsum fuisse alienissimum, quis adeo hic hospes est, ut illud ignoret? Etsi enim publicis ac privatis Conventibus, hilarioribus etiam nonnunquam, & quidem libenter vocatus interesset (naturâ siquidem amans erat societatis & amicorum congressuum) nunquam tamen genio suo ita indulgit, ut a Temperantiae limitibus dilaberetur, aut postridiè ad destinatos officij sui labores accederet imparatus.

Alienus quoq; fuit ab omnibus convitiis: non aliud in Lingua promptum habuit: aliud verò tacito sub pectore clausum fovit: nihil simulate, nihil astute, nihil dolose, nihil insidiosè unquam sed candidè & apertè egit omnia, morumq; gravitatem frontis hilaritate temperavit. Quarum virtutum omnium quamplurima praclarissimaq; edidit specimina in conciliandis Personis litigantibus coram iudicio Ecclesiastico. Ac licet interdum urgente sic rei necessitate, vitia ratione officij essent taxanda, fecit tamen id eâ moderatione, ut nihil ex affectu, sed amore potius paterno profectum videri posset. Nihil minus omnem πλεονεξία ex animo detestatus fuit, sciens, quod Avaritia Radix & Mater sit omnium malorum.

Ab ipso quoq; omnis exulavit Novitas: sicuti hoc nostro seculo reperuntur quamplurimi, sub praetextu verbi caelestis propriam duntaxat querentes gloriam, vulgiq; applausum, nimioq; animi fastu & superbiâ eò redacti, ut nova subinde dogmata procudere non vereantur; ut modo ipsi hac ratione emergant, affectas sibi pariant & Mundo

Mundo innotescant; nihil interim curantes, quàm graviter Ecclesi-
am CHRISTI saucient & hominum conscientias ledant. De quo qui-
dem malo & aliis vitiis hac vice plura dicere temporis angustia ex-
clusi prohibemur.

Cognovistis ergò hætenus, opinor, Auditores omnium ordi-
num honoratissimi, quis & qualis fuerit noster piè defunctus Doctor
& Superintendens: sed qualis, qualis fuit, tamen, quod alij omnes
experiuntur homines, ipsum quoq; experiri oportuit. Cum enim ex
parentibus mortalibus natus esset mortalis; Mortem quoq; evitare
nullo modo potuit. Proinde die undecimo, Mense Novembri, anno
superiori proximo, quippè millesimo sexcentesimo decimo quinto, cir-
ca primam antemeridianam, subito quidem & improvise morbo à
DEO implicatur per Catarrhum apoplecticum, in quo per duodecim
horas cum omnium honorum gemitu jactatus est. Hunc autem cum
neq; Medicorum solertia avertere, neq; vis ulla Pharmacorum com-
pescere posset; factum est tandem, ut morbi sevitia (ingravescenti-
bus subinde magis magisq; paroxysmis & symptomatis apoplecticis) vi-
ta quidem circa primam pomeridianam cum morte fuerit commutata,
sed in CHRISTO JESU placidissime: posteaquã nõ solum indies ad be-
atissimam ex vita hujus miseria emigrationem sese preparasset (quod
ex Concione funebri fusius percepistis) verum etiam paulo antè mul-
tis ardentissimis votis & pijs admodum suspiriis totum se, quã ani-
mam, quã corpus, DEO commendasset; hisce nimirum verbis planè
Emphaticis: Psal. 16. Conserva me DOMINE, quoniam speravi
in te: DEUS meus es tu. Benedicam DOMINUM, qui tribuit
mihi intellectum; insuper, & usq; ad noctem increpuerunt
me renes mei. Providebam DOMINUM in conspectu meo
semper, quoniam à dextris est mihi, ne commovear. Pro-
pter hoc lætatum est Cor meum, & exultavit lingua mea:
insuper & caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelin-
ques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum vi-
dere corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ; adimplebis

me lætitiâ cum vultu tuo: delectationes in dextrâ tuâ usq; in finem. *Item: Psal. 13.* Usquequò, DOMINE, oblivisceris me in finem? usq; quò avertis faciem tuam à me? illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in Morte: ego enim in misericordiâ tuâ speravi. *Item: Psal. 6.* DOMINE, ne in Furore tuo arguas me, neq; in irâ tuâ corripias me.

Anima igitur ipsius, citra omnem dubitationis aleam beatissima, jam triumphat in conspectu totius Sacrosanctæ Trinitatis, eternâq; felicitate ac felici eternitate perfruitur in terrâ viventium. Nos interim hîc in terrâ malignantium lugemus, gemimus, suspiramus, ejulamus, dum undiquaq; tristissima Fata experiri cogimur. Quæ ut à nobis avertantur, hunc in modum devotissimè orabimus:

Omnipotens æterne ac vive DEUS, Pater DOMINI nostri JESU CHRISTI, qui cum filio & Spiritu sancto vivis & regnas ab æternis seculis in æterna seculorum secula: qui inenarrabili bonitate & misericordiâ Mundum hunc creâsti, qui in eo homines per peccatum lapsos ac mortuos in Filio tuo recreâsti: qui humani generis Pater es, & pro paterno tuo arbitrio auferes & reddis: qui haud ita pridem nostrum à nobis Caput abstulisti; excita, excita, quæsumus, ac redde Ecclesiæ & Scholæ nostræ aliud. Ostende nobis rursus, DOMINE, misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis: reminiscere miserationum tuarum, & misericordiarum tuarum, quæ à seculo sunt: desine ab irâ tuâ, neq; secundum iniquitates nostras nobis retribue: respice de cœlo, & vide ac visita vineam tuam, & perfice eam, quam plantavit dextera tua, & quam tibi elegisti: circunda eam sepe & scuto tuo, ut palmites ejus transplantati & purgati copiosum tibi ferant fructum! Mitte porrò operarios in hanc messem tuam, & talem nobis largire *Pastorem*, qui lautè pascat oves pascuæ tuæ: qui Ecclesiam, quam Sanguine Filij tui redemisti, fideliter regat, qui lapsa erigat, depravata corrigat, turbulenta componat.

Defen-

Defende eharissimam Patriam nostram GERMANIAM,
nè in illâ uspiam horrida Bellonæ tuba audiatur! Averte ab
Illustrissimâ Domo SAXONICA, & cum primis à nostris Prin-
cipibus Illustrissimis omnia mala ac pericula! Largire omni-
bus pacem & concordiam, ut honestam & tranquillam vi-
tam ducamus, tibiq; grata ac proximo nobisq; ipsis salutaria
dicamus & faciamus.

*Ita fiat, DEUS PATER! ita fiat, DEUS FILI! ita
fiat SPIRITUS SANCTE! DEUS benedicte
in omnes omnium seculorum eter-
nitates, DIXI.*



Defende christianam Patriam nostram GERMANIAM
ne in illa usque horrida Bellona trahatur! Averte ab
Illustissima Domus SAXONICA & cumprimis à nostris Pri-
cipibus Illustissimis omnia mala ac pericula! Argue omni-
bus pacem & concordiam, in honestam & tranquillam vi-
tam ducamus, tibi gratias ac proximo nobis; ipsi salutaris
dicimus & faciamus.

DEUS PATER! DEUS FILIUS!
DEUS SPIRITUS SANCTUS! DEUS PATRIS
in omni omnium seculorum etc.
Amen, Amen, Amen.



THRE
D 3



THRENODIÆ

21

*In prematurum quidem, multisq; piis luctuosum,
beatum tamen obitum*

Viri

Reverendi, Clarissimi & Excellentissimi,

**Dn. ABRAHAMI
SVARINI, SS. THEO-
LOGIÆ DOCTORIS, ECCLESIAE
ALTENBURGENSIUM PASTORIS, AC TO-
tius Illustris Ducatus Saxonici, Lineæ Altenburgensis, Su-
perintendentis generalis, nec non Consistorij Assessoris
ibidem dignissimi,**

*Qui die 11. M. Novembri, Anno 1615. ex forti apoplexiâ subitò
quidem: sed placidè in Christo obdormiuit:*

Scriptæ

à Fautoribus Collegis & Amicis.



D. ABRAHAM

SVARINUS.

LIPSIÆ, Excudebat NICOLAUS BALL.

Anno M. DC. XVI.



Quis non ad tumulum quavis se præparet horâ,
Si mors tam subitas miscet agitq; vices?
Triste fat exemplum S V A R I N I in funere prostat,
Quem nox una videt vivere & una mori.
Quamvis in medio cursu vitæ, integer esset
Viribus, & longos dignus avere dies.
Multum etiam prodesse sacris potuisset, & Urbi
Altenburgiacæ commodus esse diu.
At diræ Mortis rabies nil ista moratur,
Illum, quem cuperet vivere quisq;, necat,
Nec dubitat dulci sobolem spoliare Parente,
Conjuge confortem, præsidioq; domum.
Quin etiam extrema alloquij solatia, vivis
Eripuit rapidæ vis inopina necis,
Unde dolor magis exuperat cumulatq; dolorem,
Et subiti casus crescit amaricies.
Verùm nec subitam talem fas dicere mortem,
Quæ pia, sancta, decens atq; beata fuit.
,, Nam benè qui vixit summæ non inmemor horæ,
,, Mors illi subitò nulla venire potest.

Georgius VVeinrich D.



TEquoq; S V A R I N U M vivus præmitto, tuorum
Spectator luctus, funereaq; domus?
Vim fati sentimus; & hoc, quod dia voluntas
Egit, quis mutet? ferre, probare decet.
Ifrater, nam talis eras mihi, scandito cælum,
Sancta anima, & terris redde, quod inde datum.

Hæc

Hæc via sanctorum est, quam quot trivere beati!

Et nos quemq; dies hoc sua ducet iter.

Mæsta tua est vidua, & domus: at solabitur illam,

Quem penes in tuto est vitæq; forsq; tua.

Vincentius Schmuck, D.

Dum celebrant alij sacra Martinalia, CHRISTO
Et laudes pro Te, Dive Luthere, ferunt;
En cita mors oculos Doctori claudit & ora
SVARINO, & subito funera mæsta facit,
SVARINO primùm sparsit qui semina VERBI
Intra Sceuditium, postea Delicium;
Tandem Altenburgi contermina Episcopa nostræ
Experta est Ephorum non sine laude suum.
Nunc placidâ tumulo compositus pace quiescit,
Effugiens nos quod cingit ubiq; malum.
Nam cursum absolvit Terris: Cæloq; locatus
Nunc meliore sui parte triumphat ovans.
Da Successorem SVARINO CHRISTE fidelem,
Et mittas, quem tu mittere constituis:
Maturaq; tuum Adventum, quo corruet Orbis,
In cælumq; gregem collige, quæso, Tuum.

Erhardus Lauterbach, D.

SVARINUS moritur! nostris adeone repente
Ex oculis rapit hunc mors properat a nimis?
Qui sternit, DEUS est, verùm sic ducit ad astra,
Mortis perq; viam ad cælica regna vocat.
Gratulor ergò tibi, qui jam de morte triumphas,
Et vitæ æternæ gaudia vera capis,

E

Et pre-

*Et precor, ut propera meditemur tempora mortis
Hoc nostrum studium sit, benè posse mori.*

Polycarpus Lyserus, D.



Anima Defuncti ad Christum.

EN tibi nunc reddo cum fœnore, quam voluisti
Concessam esse minam, Christe benigne, mihi:
Namq; decem fuit ista meo sudore, labore,
Atq; potente tua voce, lucrata minas.


Christus ad animam Defuncti.

Pluribus es dignus qui præficiaris honore
Magno, quos solita sedulitate regas:
Et splendore tuo vincas rutilantia cœli
Sidera, flammigeras æthereasq; faces:
Quæq; suâ quondam tibi morte paravit acerbâ,
Intres ut Domini gaudia læta tui.

Debitæ condolentiæ ergo

scripsit

Christoph. Wilhelmi Walpurger
SS. Theol. D. & P. P.



L*apsuras cœlo stellas prædicis J E S U,
Dum reditum J U D E X ultimus acceleret.
Vera refers; nam comprobata experientia, multas
Turpiter ad terras procubuisse FACES
Conspicis, ut plures procerum vis improba sternat,
Transversum & multas devius error agat.
Sæpius Antistes celebris fit APOSTATA MAGNUS,
Fuit qui intrepidâ dogmata sacra manu.*

Res

Res loquitur, FIDEI confessio nutat in horas,
Ad sectasq; LEVES flectit ubiq; FAVOR.
Sidera quot passim cælo MORS ferrea delet,
Publica quæ lugent pulpita, templa, Scholæ?
ALTENBURGUM eadem (dolor heu!) nunc fata fatigant
Dum SVARINUS ibi fulgida STELLA cadit.
Vivere Mathusale debebat secula longa,
Si nostris votis res peragenda foret.
Solers Ingenij vis hic cum RELIGIONE
Syncerâ; HOC nullus pectore fucus erat.
Moribus integris FULSIT linguaq; disertâ,
Quis SVADAM tanti nollet amare VIRI?
Non suetus certare odiis, studiosus amator
PACIS erat: stygia ac hostis Erynnis erat:
Hec NOS à teneris VIRTUS sociavit, amorem hunc
Non potuit serus contemnerare dies,
Euryalo MIHI NISUS eras, JESSÆIUS Heros
SAULIDÆ, hinc nocuit lingua trifurca nihil.
Heu MIHI, quod jubeor tua membra peremta tueri,
Agmina cum gemitu & ducere longa COMES.
Humectò toties lacrymarum flumine vultum,
Hæc quoties mentem mors inopina subit.
At cessa crebros ad sidera mittere planctus
Tandem oculi taceat fessa pupilla MEI.
Non amissa quidem, præmissa hæc stella coruscans
In cælis fulgens jam rutilescit ovans.
Tempus adest iterum breviter quod junget AMANTES,
Nec qui nos unquam separet ULLUS erit.
Perfruere interea cæli Tu sede beatâ,
Momentum poterit NOS SOCIARE polo.
Molem mæroris leni mitissime JESU
Et cordis massam mundificato meam.

*Commeritam mortem MIHI Tu moderare supernè ,
Ut mollis maneat mors mea membra jube .
Hinc quoq; soleris VIDUÆ mœstissima fata ,
ILLIUS & caris prospice FILIOLIS .*

M. Martinus Hammerus, L. Baro-
natûs Schönburgiaci, partis Glau-
chaviensis Antistes, *συνεπιθηνῶν*
apposuit.

Cur verò, Pia Corda, linquitis nos?

Cramerum Svarinus insecutus

Ex pacto quasi fata uterq; claudunt.

Is certè fueras, *Cramere*, dignè

Quem totus sequeretur orbis unum

Laudes dexteritas tibi paravit.

DEO dexter eras, tibi, tuisq;

Hac ex dexteritate tot fluebant

Virtutum officia, esse quot potissunt.

Primas esse, tamen DEI volebas

Partes, ac meritò: Cui sacratum

Se qui vult, tulit *illud omne punctum.*

Hoc tecum *Svarinus* (Alteburgum

Quem luget) tuus ac meus patronus

Adfectavit, & est piè adsecutus.

Prædormite modò horulæ minutum,

Fida pectora, habebitis futuros

Nos, quos hîc breve copulavit ævum,

Vobiscum socios perennitatis.

Συνεπιθηνῶν ergò

scr. Jena

Valentinus Rimer D.

Ergone

Ergone decedens terris, SVARINE, dolorem
Linqvis, & es luctus Tu quoq; caussa tuis!
Carus eras cunctis, quia mens tua nescia fraudis,
Cum suada, & pietas digna favore fuit.

At te felicem, cui, ne ulla pericla subires
Amplius, aethereas contigit ire domos.

Nunc ubi caelesti perfusus lumine, dulci

Aspectu fruere colloquioq; DEI.

Salve sinceri Antistes clarissime verbi,

Et patriæ æternum, gloria magna, Vale.

M. Nicolaus Lifsca, in Aead. Lipsk

Prof. Publ. & Communitatis Phi-

losoph. p. t. Decanus.

Ceu levis in moti crescentibus æquoris undis
Nascitur, & subito tempore bulla perit:
Sic dum fervet adhuc vegetis sat viribus ætas,
Sæpius in ventos vita caduca volat.

Comprobat hoc Doctor SVARINUS, mysta verendus,

Virtute eximius, relligione gravis:

Qui sua nocturnæ fanus dum membra quieti

Tradit, compellans supplice voce DEUM;

Et manè evigilans, è lecto & surgere tentans;

Spem præter vitâ deficiente cadit.

Ah casum tristem, lacrimis qui dignus amaris,

Quem luctum is multis quos gemitusq; parit?

Sed benè habet: queruli cessent nunc murmura planctus,

Non frangat nimius pectora mœsta dolor

Nam Christo credit qui pectore cunq; fideli

Virtutum vigilans cultor amansq; manet:

Seu veniat citiùs, seu serius instet, acutis
Non mors huic spiculis dira nocere potest.

defuncto Domino affini suo

Paulus Hertinger / Lips. ad D. Thom.
Verbi divini Minister.

Sancte DEI Præstes, citiori morte peremte,
Hæc mea jam cineri carmina scribo tuo:
Cura etenim tibi erat templiq; scholæq; foriq; &
Quorumcunq; virum semper amica salus.
Inde Tibi manes merito optaremu' perennes,
Ni foret in cælis jam cuperata SALUS.
Hinc gremio recubas, ABRAHAM SVARINUS, ABRAHAM;
Nec cita mors mors est; sed cita tuta Quies.

Attestandæ condolentiæ ergò
Dn. Compatri & amico suo singul. f.

Victorinus Gruner, Secret.
Altenburg.

DUM tua DIVA dolet, Doctor Svarine, SIONIS
Funera præproperæ lance parata necis.
Hac, mihi, nœniola lugubri mente profecta
Exuviis, visum est, solve justa tuis,
Qui te sat celebri vivum statione locavit,
Consiliis præstò qui fuit usq; tuis.
Qui te præclare commisso munere functum
Iustorum voluit deniq; morte mori:
Nempe DEUS, vitæ sortes mortisq; gubernans
Sufficiat multò nunc meliora tibi.

Sufficiat

Sufficiat menti cœli regione potitæ,
Gaudia, non finem, non habitura modum,
Sufficiat membris placidam tellure quietem,
Supremo donec fuscitet illa die.
Sufficiat famæ sua digna Encomia, nec non
Et viduæ & soboli prospera quæq; TUIS.

*Johannes Weinrich, Pastor Ecclesie
Melbise sine Domino τὸ ἐν αἰῶσις
Affini fecit.*

Mirari quisquam poterat, quæ causa Tonantem
Commoveat? subitâ toties quod morte fideles
Obruat, ac illos mortalibus eximat auris?

Sed mox cessabit dubiæ suspensio mentis,
Si modo consilium Jovæ revocare velimus
Altius, atq; rei veras exquirere causas.

Nam quoniam sancti spumantis in equore mundi
Multum sæpè diuq; vagis Acherontis avari
Fluctibus, & sortis strepitu, tumidisq; procellis,
Per varios vitæ casus, per mille pericla,
Factati fuerant, raptiq; per omne profundum.
Jovæ igitur tantos miseratus ab axe labores
Illos ulterius torqueri in mortis agone
Non patitur: sed opem cœlo demittit aperto,
Quæ facilem donet cursum ventosq; secundos,
Atq; procellosis ereptos fluctibus ævi
Præproperè ad portus referat felicitis Olympi.
Non secus ac quem longa dies stridentibus undis
Exagitavit, & hinc scopulis allisit & illinc,
Sapius arreptum ventus vehementior, omnem

Spem

Spem præter placitâ gaudentem exponit arenâ.

Iste repentinus ventus seu turbo marinus
Vis morbi est, Medicis Apoplexia dicta Pelasgis,
Quæ multos olim Patres multosq̃, Prophetas
Hosq̃ inter fidum Christi verbiq̃ ministrum
JOHANNEM, ac alios primævi tempore sæclī
Et nostrâ imprimis Megalandrum etate LUTHERUM,
MATTHESIUMq̃ senem, Philyræq̃; insignia nostra
Lumina, SCHILTERUM ac HARWARDUM, his extulit oris.

Hæc etiam (heu veterem cogor revocare dolorem)

VEINRICHIUM, Patrem, Cervino in monte, fidelem
Christiadum Mystam, florentem etate virili,
Abstulit ante diem, propereq̃; in dexit Olympo.

Quin hæc ipsa etiam subiti vis improba morbi
SVARINUM Socerum pietate fideq̃; potentem,
Consiliisq̃; gravem, Mystamq̃; decusq̃; cathedræ
Altenburgiacæ; nil quicquam tale timentem
Impete præpropere media inter vota precesq̃;
Obruit, & cæli tempe ad sacra reduxit.

Jam tenet ille locum cælesti sede receptus
Qui nebulas nubesq̃; supra stellasq̃; micantes
Despicit hoc imo quicquid subsedit in orbe.
Et Christi felix niveis requiescit in ulnis,
Cujus in hac vitâ laudemq̃; decusq̃; canebat.
Hic capit optatam rapido profunere vitam,
Tamq̃; citò è mortis sese emeruisse periclis
Gaudet, & in civem acceptum gratantis Olympi,
Majoriq̃; poli subitanea fata rependit
Letitiâ: quanquam haud subitanea fortè videri
Fata queant, sanctas animas quæ corpore solvunt
Instantis memores mortis vitæq̃; perennis.
Jam patriam tenet ille, brevi nos fortè sequemur,

Fortè

Fortè idem casus, eadem nos fata manebunt,
Quæ Patrem, Socerum, ac alios subiisse videmus.
Unum hoc oremus: tua si DEUS alma voluntas
Sic ferat, ut simili rapiamur ab orbe rotatu,
At saltem largire favens in utrumq; parati
Vivere sive mori cunctâ inveniamur in horâ.
Cumq; repentinâ vi lingua stupefcet & ora,
Tu gemitus audi nostros, mentemq; precantem,
Et fidei sacras languenti in corde favillas
Usq; fove, ut certi veniæ, certi q; salutis,
Præproperas subeundo vices, nil tale putantes
Erepti terris patrium redeamus ad axem.
Sic precor; & nutu DEUS huc inclinet Olympum.

*Pia συμπαιδείας declarande studio scribebat
Gener defuncti mæstiff.*

M. Thomas Weinrich SS. Theol.
Bacc. Lips. ad D. Nicol. verbi
minister.

E Loquar, an sileam? mediis quia faucibus hæret
Vox mihi, mensq; gravi mæsta dolore stupet.
Eloquar: occubuit, tumulo corpusq; reliquit
SVARINUS, sacra Doctor in æde vigil.
Vir pietate gravis, nulli virtute secundus,
Excellens variis dotibus ingenij.
Vivere dignus erat longævi Nestoris annos;
Secula Mathusalæ vivere dignus erat.
O infausta dies nigroq; notanda lapillo,
Qua cadit hic sacri duxq; paterq; gregis!
Verùm sic Domino placuit: Divina voluntas
Hæc fuit: idcirco questibus esto modus.

F

Tu

Tu nobis alium Pastorem mitte Iehova,
Qui simili studio pascat ovile tuum.
SVARINI intereà requiescant molliter ossa,
Æthereâ donec clanget ab arce tuba.

M. Elias Klein, Archidiaconus.
Altenburg.

A H gregis amisit Pastorem PLISSA fidelem!
Amisit fidum nostra carina ducem!
Occidit ab multo venerandus honore sacerdos,
Anxia cui Christi pro grege cura fuit!
Occidit ab tristi sublatus funere DOCTOR,
Mente sagax, calamo prosper, & ore potens!
Heu casum miserum, nobis meritoq; dolendum,
En cecidit nostri lausq; decusq; chori!
Heu nimium præceps obitus, properataq; fata
SVARINI, dignus qui superesse diu!
Magno etenim zelo inculcat Jovæ pæcepta cohorti
Christiadum: monstrans ritè salutis iter:
Hujus & alma fides, pietas, & criminis expers
Vita, volat passim doctâ per ora virum,
Aufugit ILLE, (dolor!) cum plura na Jæquata vivant
Aufugit, ab meritis aufugit ante dies!
Hunc cecidisse dolet Schola, mæret sancta cathedra,
Cum natis conjunx hunc cecidisse gemit.
Hunc Aulæ Proceres, patrij Proceresq; Senatus
Lugent, hunc cives occubuisse dolent.
Tota Ministerij nostri reverenda corona,
Hoc cecidisse suum fletq; doletq; caput.
Sed fuit hæc Jovæ rata lex, & justa voluntas,
Hoc indignus enim munere Mundus erat.

Pro-

Propterea voluit vitâ meliore potiri
SVARINUM nostrum, pro pietate sua.
Et quia lustra ferè per sex, mysteria Christi
Hic sparsit, meritò pergit ad astra poli.
Proq̃ labore gravi, in cœlis nunc larga Beata
Carpit, Justitia partaq̃, ferta gerit.
O quam grata quies, O quam mutatio felix
Obtigit, abrepto vir venerande tibi.
Jam curis vacuus, morbo jam liber ab omni,
Finisti letho cuncta pericla pio.
In Christo placidam capiunt tua membra quietem,
Pulsa tristitia nube, metuq̃ mali.
Gratulor hosce tibi DOCTOR clarissime honores,
Quod nece parta tibi vita, corona, salus.
Quod superesse puto; cœlestis PASTOR JESU
Inter Pleiades sit tibi cura gregis.
Nos pœna gravitate leua, ira contrahere vela
Commota, omne tuo diluere rore scelus.
Noster & Elias cum jam super astra vocatus,
Ah precor Elisam mitte ad ovile tuum.
Mitte brevi Elisam duplici qui ponderè Eliam
Abreptam superet, tempore mitte brevi.
Semper ut Automedon, currusq̃, auriga Jehova
Extet, & in cœlos millia multa vehat
Interea hancce tuam viduatam Christe Sareptam
Auxilioq̃ juva, consilioq̃ rege.

M. Petrus Zeller, Diac.
Altenb.



PErpetuis agitor fortunæ lusibus: in me
Nec video juris quid sibi fata negent.

F 2

Nunc

Nunc miser invidiæ, mortis nunc vulnerorictu,
Nunc poscit medicam corpore languor opem.
Vix ubi dedidici raptam deflere Maritam,
Et Natum, ô gemino funera mœsta malo!
Vix ubi conjugium, Jovâ moderante, secundum
Apparo, fortunæ prosperioris amans,
Cladibus en minimè satiata prioribus, in me
Rursus, ut invisum, mors movet arma, caput,
Et necat immiti SVARINUM verberare, cari
Gratus honoravi quem patris usq; loco.
Sic mea, quæ paulùm vix consolidata putabam
Vulnera, tam subito mors truculenta novat.
Sed (mirum!) primos homini quæ fecerat ortus
Lux eadem condit triste cadaver humo.

A pueris, pauper, caris genitoribus orbis
Vicatim miserâ voce alimenta petens,
Sudavi atq; alsi: quid, paupertate magistra,
Sitq; famem, didici, quid tolerare sitim.
Sed, SVARINE, meæ qui, fortunantibus ausis,
Consuleres vitæ casibus, unus eras.
Tu me observabas, tu me patris instar amabas:
Nec poteram matri carior esse meæ.
Te monitore puer didici, quâ tendere rectâ
Ad doctas possem per juga celsa Deas.
Tu pia præbebas viduo solatia mœsto,
Deploranda tuam fors mea sensit opem
Huc Evangelij quòd item sum præco vocatus,
Consilio factum quis neget esse tuo?
Atq; ita si tabulas accepti scrutor, & in me
Collata indignum tot benefacta lego,

No-

Nomina tanta tot & me contraxisse recordor,
Cogar ut æternum debitor esse pius.
Nec tantum tibi, sed viduæ (& nisi tantulus essem)
Devinctum Natis me decet esse tuis,
Queis nil polliceor candorem præter, amicamq;
In casu duro quæ experienda, fidem.

Me tamen, ecce, tuos (quid enim non audeat hostis)
Ingratum in cineres invida lingua vocat.
Invide, traducas. Patienti devoro mente,
Probra tua, ultorem constituoq; DEUM.
Carmines si vitâ functum revocare liceret,
Corporeq; egressam voce ciere animam,
Prorsus in auxilium, quot habet Germania, vates
Conclamaturum me, sciat alma Fides.
At verò tantum juris mihi fata negarunt
Invida, nec tantum carmina robur habent.

Ne tamen omninò jaceas inhonorus, amate,
Et Pater & titulo digne patrone patris,
Exiguis age condo tuis ego manibus hosce
Versiculos, lacrymis irriguoq; piis.
Spiritus antè meos (res feria!) deferat artus,
Sit tua quàm pietas pectore pulsa meo.
Tu patriam, SVARINE, tenes: è valle malorum
Ereptus stabilis munera pacis habes.
Intereâ vitæ experiar discrimina, restet
Quantumvis misero flebile curriculum.
Hos quicunq; legis versus, lamentaq; fletus
Inter & invidiam me posuisse scias.
Vive memor lethi, fortis memor atq; caducæ,
Incautum ne te supprimat hora necis.

In quodcunq; latus siquidem collabitur arbor,
Ut semel est ferro cæsa, jacebit humi.

M. Otto Freund / Diacon. Eccles.
Altenb. lugens mærent q̄. f.

E T multa fari prohibet mihi dolor,
Quod si queo reducere
SVARINE te: noctes, dies, non desinam,
Vocare, flere, conqueri.
Sed nec querelis, nec clamoribus potest
Ullis reduci, nec tamen
Si possit, huc rediret, aureum nisi
Cum plumbeo mutare mens
Sit, pro quiete curas, pro bonis mala,
Pro gaudio luctum & metum
Optare. Namq; illi benè est, nobis malè
Ergo quiesco, & omnia
Commendo summo Principi, summo DEO:
Is qui malis nos implicat,
Vult & potest malis exolvere omnibus,
Et inter hostes plurimos
Servare. Sufficit. Quiescat molliter
Qui mortuus piè DEO.

Amico desideratissimo f.

M. Ambrosius Barden-
stein, Schola Lips. ad D. Thome
Moderator,

Quam

Quàm sibi nemo potest hominum proponere quicquã,
Quod non momento secius esse queat!
Cuncta Deus Mundi sic temperat Arbiter, ut sit
Proposuisse hominis disposuisse DEI.

Non procul his opus est documenta requirere verbis:

Exemplo Musæ res patet ista meæ.

Nam natalitiis SVARINI sacra Novembris

Dum ter quinta dies axe redire parat,

Eusebieq; jubet modulari carmen amicos,

Et bona natali dicere verba die:

Nostra etiam tali versum meditatur honori

Musa Deæ jussis obsequiosa piis.

Sed dum surgit opus, vox nuncia fertur ad aures,

Desine, cui pangis dulce poëma, Fuit.

Hem quid ais? inquam, quem dicis fama fuisse,

Num SVARINUS obit cui sacra metra paro

ABRAHAMUS obit *veteri* SVARINUS in *Arce*

Quà modò Mystarum Mysta supremus erat,

Nam dum Martini medio lux Sole calefcit,

Attonito properè membra stupore rigent

Angustamq; brevi resupina ferentur in urnam,

Ipsã quam versu vis celebrare die

Quã Phœbi liquidas quoq; in auras editus, annos

Ante quater tredecim viderat ipse facem.

Sic ait, & tenues evanida cessit in auras,

Territus hinc versus corrigo vota mei,

Et pro solemni genialis carminis orsu,

Instituto lessus ingeminare meros.

Præ terrore aliud quid enim potuisse videbor

Tentare? Attonitus mentis & oris eget.

At postquam redijt solita in præcordia Virtus,

Marmoreo hæc sculpsi verba suprema toro.

EPI.

E P I T A P H I U M.

H AC ABRAHAM recubo placidè SVARINUS in urna,
 SCENDICII Mystâ patre JOHANNE satus,
 Cum post ter septem & quingenta triennia, lucem,
 Ter quintam tuleras Phæbe Novembris aquâ.
 Patria Grammaticam: linguas artesq; ministras
 Mersburgum: Philyre dogmata sacra docet.
 Inde Magisterij meritum sortitus honorem,
 Rostochium viso finitimosq; locos.
 Vixq; reversus eram, Patris successor ad annos
 Bis septem patrium dogmate pasco gregem.
 Exin Delicium vocor, & Dux impiger illic
 Erudio turmas per duo lustra sacras.
 Post DOCTOR factus Witebergæ Mysticus, annos
 Sex Altenburgi computo summus Aron.
 ANNA tori consors denâ me prole parentem
 Efficit, ad sexum mater utrumq; bona.
 Lustra decem vixi cum binis insuper annis,
 Vitam quam vixi Fama probabit anus.
 Accelerat placidam pernix Apoplexia mortem:
 Lux eadem, vitam qua dedit, ossa tegit.
 Tu præter grediens qui legeris ista, Viator,
 Vive piè, & vitæ disce timere tuæ.


M. Melchior Weinrich, P. Cæsar,
 & Schol. Lips, ad D. Thomæ Col-
 lega.

T E, SVARINE, chori lumen venerabile nostri,
 Posthuma CLAUDERI commendat Concio, laude
 Qua fieri potuit, potuit qua pensius arte.

Sed

*Sed quae nunc remanent, superaddent agmina caeli,
Nam nobis semper dignus laudari er esto.*

Fabianus Zeifoldus, Pastor in Gölnitz,
Diocesis Altenburg.



A H quid homo est? dicam, nisi mortis PRAEDA voracis,
S ub casses cujus foemina virq; cadit.
B ULLA, repentino quam ventus disijcit ictu
V no, lege una Cræsus & Irus obit.
R umpitur, ut FILUM, mox quod textoris in actu,
A nece nec tutus Samuel, haudq; Nabal.
A nece tutus homo nusquam, mensavè thorovè,
R arò non illum nocte dieq; rapit.
H eu sic SVARINUM rapuit mors invida nostrum:
I nvida SVARINUM mors homicida meum.
A h ubi fama meas in festa (hei) perculit aures,
N emo meum angorem credere ab indè potest.
M ajorem nullo cruciatum tempore sensi;
V t Pylios, dixi, viveret ille dies.
V itali percunt at nulli lumine cassi,
S VARINUS fruitur vita & in axe meus.
S cimus enim, quòd sit caeli mors porta piorum,
SVARINUM in caelum vexit & illa meum.
D a modò, da clemens SVARINUM IHOVA secundum,
O ro, qui nobis vulnera dura levet.
C orpus ut est truncus demto capite, agmen & ipsi
T ale sumus, DOMINUS surroget oro caput.
O pto fidele caput, rogo Relligionis amansq;
R ectæ: SVARINUM CHRISTE foveto meum.

*Melchior Ursinus, Sarensum,
Pastor f.*

G

Com-

Concepta Ensiferi ex donato gaudia Gnato
Divulgans scripto DOCTOR ABRAMUS obit :
Huncq̄, paroxysmus nobis apoplecticus aufert
Immenso precio qui redimendus erat.

Namq̄, pius vitâ, sincerus pectore, constans
In vera ad mortem religionem fuit.

Gaudia sic luctu nostra heu miscentur acerbo,
Ut stabile humanis nil solet esse bonis.

Ast quia sic IHOVÆ visum est, ABRAME BEATE,
In fidi ABRAHAMI nunc requiesce sinu :

Doctoresq̄, inter claros diademate fulgens
Tristitia perpes cœlica regna tene :

Donec ad Adventum Christi rediviva resumes
Membra in perpetuos exhilaranda dies.

Interea vidua mœsta solatia firma,
Prestet, symmystis, pignoribusq̄, Deus :

Præsulis & cum sit viduata Ecclesia ductu
Nostra, alium monstret sufficiatq̄, Virum,

Gloria cui IHOVÆ cura, pietasq̄, salusq̄,
Commisssi cordi sit preciosa gregis.

SVARINIQUE legens piâ qui vestigia fidi
Mystas afflictos curet ametq̄, suos.

M. Elias Dreslerus in Stüntzhain Pastor.



Abraahamus Svaërinus Doctor.

Αναγε.

Oro hamus ab arâ: Svadent curis,

δήλωσις.

IN sacris hamus Svarinus mysticus audit,
Qualem haud piscator Plissidos amnis habet ;


Sed Svarinus adest sacrâ Christi hamus ab arâ

Pisciculis veniens non sine, Christe, tuis :

Piscicu-

Pisculi, ecce, tui ægrotis sunt fercula; *Suadent*
 Mœstorum *Curis*: Fercula quàm bona sunt,
 Quæ *Curis suadent*, Svarine Patrone, molestis
 Ædibus inq; sacris, ædibus inq; tuis?
 Hæc Cabala exposuit præsentis tempore; Christo
 Excipiat pisces *hamus (& oro)* tuus;
 Qui suadent curis; Cernatur & *hamus ab arâ*,
 Vir Reverende, tuus: faxit agatq; DEUS.
 Tento, quid? Cabala exponit metagrammatos omen;
 Fama malum contra fata sinistra refert:
 Fata sinistra refert: *Svarinum Morta* peremit,
 Qui docuit Christum suaviter æde sacrâ;
 Quiq; Deo cepit pisces, nunc captus *ab arâ*
 Est *hamus* Christo, hunc nassa poli q; tenet:
 Mortuus ille licet, Christo manet *hamus ab arâ*,
 Et *suadent curis* fercula lata suis.
 Hæc abigant (*oro*) curas de corde prementes,
 In Christi tutâ vivit ovatq; manu.

Andreas Pulcius M. Pastor in Mehnâ.


Svarinum, Mystæ, quid vos lugetis ademptum,
 Iniqua quem mors sustulit,
 In gremio sancti letus requiescit Abransi
 Aeterna carpens gaudia.
 Ille quidem vitâ hac dignus: Deus ipse perenni
 Sed digniorem judicat.
 Ergo illum miseris jub. et his excedere terris,
 Dum conciones imprimi
 Curat lugubres, meditatâ dona perennis
 Vitæ, hujus & injurias:
 Mox pius afflatus cœlesti Flamine Doctor,
 Hæc edidit suspiria:
 Munde vale, discedo libens, jam sufficit, ultrò
 Sedes beatas expeto:

G 2

Christe

Christe animam tollas, Paradysi gaudia tecum
Mihi lubet jam carpere
Exaudit Christus votum Doctōris, & ipsum
Ad se cito vocat modo,
Christus ait mecum sis, per speculumq̄, nec ultra:
Sed cominus me nunc vide.
Cuncta mea, en, tua sunt, tibi trado patria regna,
Meo hæc paravi sanguine
Quos voce, & calamo duxisti sedulus ad me
Æternum eis eris Comes
Hæc ait & capiti cœlestem imponit honorem
Præfulgidam coronulam
Induit & totum splendenti corpus amictu
Et clariore stellulis.
Vos agite, ô mystæ, certatim quæso sequamur
Doctōris & sanam fidem, &
Virtutes reliquas omnes, cœlestia nos sic
Certo & manebunt gaudia.

Ægidius Engelmann/Past. in Wildenpörrty.

ITe voluptates, vos gaudia protenus ite:
In nostros intrant publica damna lares,
SVARINUS nostrum cecidit caput, impete Mortis:
SVARINUS sacræ sedis & ædis apex.
SVARINUS nostri decus admirabile ludi
Quin & totius maximus Urbis honor.
Quàm rexit dictis animos, quàm pectora mulsit
Eloquij largâ floridioris ope!
Quàm dubiis rectè potuit succurrere rebus
Consilij subitâ dexteritate sui!
Cætera quid referam mentis præstantia dona?
Vox titubat: tacitum mutor in Harpocratem.
Oh fera Sarcophagi feritas, ô invida tela,
Tàm citò quæ nobis hunc rapuère virum!

Fas

Fas erat, annorum grandævi Nestoris augmen-
Hunc superâsse: Necis sed sicilice jacet.
Vita quid est Hominis, nisi fumus & umbra caduca:
Vitrum, quod subito frangitur ante pedes?
Verùm tu, SVARINE, poli nova gloria salve,
Et cum cœlicolis gaudia perpes age;
Qualia non oculis hausit, non auribus ullus:
Qualia non acies pectoris ipsa capit.
Antè suas revocent sinuosos flumina cursus.
Quàm tua de nostro pectore fama cadat.
Sed tu, magne Deus, nostræ Patrone salutis,
Respice nos, nostri sis, velut antè, memor!
Respice nos: da Doctorem, qui compare clari
SVARINI vacuum suppleat arte locum:
Quo præeunte tuas noscat plebecula leges,
Discat & in laudes pleniùs ire tuas!

*M. Josephus Clauderus, Poëta. Cesar. &
Schola Altenburgensis Rector.*

Natalis fuerat ceu dena & quinta Novembris
SVARINO, vitæ qua dedit auspicium:
Est quoq; Feralis, sic dena & quinta Novembris,
SVARINUM tumuli quæ statione locat;
Sta, quicunq; vides, tumulo nam conditur isto,
Altenburgiaci fama decusq; chori,
Natalem memorare tuam, quâ vivere cœptum est
Sed quoq; Fatalem, quâ moriêre, diem.

Fautori desideratissimo
apponebat.

*M. Daniel Hermannus
VVratislaviensis.*

AD TUMULUM.

Qui tumuli? an *Fidei*? *Fidei* sunt; nec tamen hîc est
 Sola *Fides*; sed & hîc *Relligio* ipsa jacet:
Relligio hienè jacet? jacet hic; verùm illa tamen non
 Sola jacet; *Pietas* hæc quoq; busta tenet.
 Hîc *Pietas* recubat? recubat, sed non tamen illa
 Sola cubat, sed & hîc *Artis* imago jacet,
Arvis an hi tumuli? Sunt hi, sed nec tamen illos
 Sola tenet, simul hos *Suada* venusta tenet.
 In cryptis his *Suada* sedet? Sedet: at tamen hîc non
 Sola sedet, loculos hos quoq; *Candor* habet
 Tot *bona* num potuere mori? potuere profecto
 Tot *bona*, SVARINUS si potis ipse mori,
 Quo vivo vixit *Pietas*, *ars*, *Suada* *Fides*q;
Relligio & *Candor*, cum moriente cadunt
 Nunc pius in *cælo*: recubant mortalia *Saxo*
 Ast orbe eximium est, *Spiritus*, *ossa*, *decus*.

M. Josua Stegman.

Aν', αἰ! μηδεμίην ὑμεῖς οἰσποθ' ἀρεξίν
 κλινοπετεῖ, νόσον ἔτῳ τις ἀμυῶ ὀλοήν:
 Ἄλλα διωασείη μοίρας κάρτοσσε τέτυκται,
 τῆς ὑπὸ μὲν θνητῶν κῆται ἅπαντα ποσίν,
 φεῦ φεῦ ὡς πέλεται νηλειῆς, ὡς καὶ ἀπίνης!
 ὧς ἴδεν χαλεπὸς πανθολέτωρ θάνατον!
 φείδετα ἔθενός ἀνθρώπου δε δαημένοιο
 ἰδοσύνησι καλῆς τῆ φθονεραῖ κοπίδι.
 Ἄλλ' αἰ νόμων πινυτῆς μὲν ἀνείλετο νήλ εἰ χαλκῶ
 καὶ λογίων θείων φερόμοσι μυσοπόλοις.
 Ἐτθανε γὰρ φυῆ καὶ τέχνη κύδιμα ἀνήρ
 ἄξι' αἰδία σα-ρην ἔνόματον.
 εὐ ἀγόρευσας ἔπη, μυσηρία θεία βεράβευσας,
 κοσμίαςασε βίαν εὐρησπῆι πόνου

Κλαίετο

κλαίετε γὰρ χεῖρες, ὦ φίλοι κλαίετε μῦσες,
κλαίετε κοινότοχοι, κηδεμόνετε φίλοι.

à
M. Nicolao Rhostio SS. Theol. Stud.

Sub suas sic mors vocat atra leges
Cuncta? sic ejusq; jugo universa
Flebili parent, rata fata nec sunt
Ullius unquam?

Sic nitens aurum & Charis alma? mundi
Concidit sic gloria? sic celebre
Interit quodvis, tegiturq; nigrâ
Deniq; terra?

Sic nec immortalis honore vitæ
Parcit ornatis, homines sed astis
Demonis mors falce sua rapaci
Demetit omnes?

Et mihi te sanguine junctum oportet
Sic mori, Svarine, viamq; mortis
Pallida calcare? modo nec illam
Effugis ullo?

Quàm citò concepta labascit omnis
(Heu mihi) spes? quamq; brevi putat unis
Gaudium improvisa tuæ mihi vis
Mortis ademit?

Jam nihil restat, nisi, oberro dum vix
Vivus & cunctorum ope destitutus
Ad tuum ut cor confugiam, supreme
Joya, paternum.

Interim nunquam tua busta cesso
Fletibus, Svarine, rigare largis,
Donec à nostris Pater almus illos
Tergat ocellis.

Piè denati

nepos ex sorore tristissimus

Johannes Colerus SS. Theol. Studiosus.

Subsi-

Ze 7111

Subsiliunt alij pedibus, manibusq; triumphant,
Dum repetunt cupido tecta paterna gradu.
Ast ego Lipsiaco dum jussus ab orbe revertor
(Heu dolor) in lacrymas cogor inire graves.
Cuspide vix viso, qua dux sedet Inclytus, arcis,
Defuncti exagitor nuncio ab ore Patris.
Accessis laribus famulæ fraterq; sororq;
Mortuum in aspectus dant lacrymando patrem.
Quid magis horrerem, quam talia visa parentis?
Plaudam? quin planctus libero ab ore fremam.
Heu dolor & lacrymæ! Cur nosq; tuosq; recedens
Deseris, ô genitor, fortis in orbe trucis?
Tunc meæ Musæ fiducia tanta salutis,
Nunc subito tantus luctus es atq; dolor?
Nonne mihi lætum cor erat, poterantq; videri
Tempora jam vitæ prosperiora meæ?
Dura sed optatos successus Parca fefellit
Traxit & ex atro vellere fila mihi.
Dum tibi præcidit vitam crudeliter, & te
Rebus in humanis noluit esse diu.
Tota recumbebat domus in te nostra: sed eheu!
Sarcina nunc matri quanta futura meæ?
Quid querar? effundam quas mœsto pectore voces?
Impediunt lacrymæ triste dolentis opus.
In largas verò lachrymas licet ipse resolvar;
Pars lacrymæ summi nulla doloris erunt.
Quin potius taceo hoc decorans tua funera voto:
Te beet astripotens me foveatq; DEUS.

*Samuel Svarinus defuncti filius
mœstiss.*

F I N I S.

M
VDT

QK. 275. ORATIO PA

DE VIT
DIIS AC

SIMO O

Reverendi, Clarissimi &

Dn. ABRAH.

RINI, SS. THEOI

ris, Ecclesiae ALTENBURG

lustri Ducatus Superattendenti G

ibidem Assessor

Demortui die 11. M. Novemb.

omnibus pro caenobiali die 15. Nov.

Jussu Super

Conscripta & 29. Januarij An

M. JOSEPHO CLA

Caesar. & Scholae ib

D. ABRAHAM



LIPSIAE, Excudebat T

ANNO

VIrI IVrI reCorDa

18

